



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo

Marca, Pierre de

Parisiis, 1669

X. Primus omnium Hilarus Papa Arelatensibus Episcopis tribuit potestatem
convocandi Concilium Galliarum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15617

Can. 1. Concil.
Afric.

Zozimus cum eo communicavit unam ex prarogativis quas Africani canones Metropolitanos debent testantur supra Episcopos & clerum provinciae. Sed privilegium illud coërcitum fuit ad unicum hoc caput jurium metropoliticoꝝ, nulla congregandorum Conciliorum Galliae potestate concessa; ac praeterea Patroclo tantum conceditur, ea ratione, ut ad successores non transmittatur; *meritorum ejus speciali contemplatione*, inquit Zozimus. Merito igitur reprehendendi sunt Episcopi provinciae Arelatenſis, dum in libello quem Leoni primo obtulerunt, aiunt eam auctoritatem sedi Arelatenſi competere, quam verbis admodum magnificis explicant contra tenorem rescripti: *Ut omnes Gallias, sibi apostolice sedis vice mandata, sub omni ecclesiastica regula contineret*. Imp. Valentinianus III. auctoritatem Patrocli Episcopi Arelatenſis intendit, lege data, qua ejus jurisdictioni subdidit Episcopos Galliarum qui Pelagij erroribus adhærent.

L. 47. Cod.
Theod. de Episc.

VIII. Privilegia isthac personalia Arelatenſibus Episcopis concessa, quae aliunde confirmata fuerant à Zozimo quoad ordinationes Episcoporum provinciae Viennensis & utriusque Narbonensis, tamen dein Bonifacius Papa ea extendi prohibuit ad primam Narbonensem, viam aperuerunt ambitioni eorum, adeo ut ad exarchatum Galliarum aspirare ausi sint. Hanc ob rem Hilarus Arelatenſis Episcopus in secunda synodo Arelatenſi decerni procuravit penes Episcopum illius urbis futuram potestatem congregandi synodum Galliarum, quoties ita illi visum foret expedire. Hic est enim sensus canonis XVI II. ut ejus verba satis indicant: *Ad Arelatenſis Episcopi arbitrium synodus congreganda: ad quam urbem ex omnibus mundi partibus, precipue Gallicanis, sub sancti Marini tempore legimus celebratum fuisse Concilium atque conventum*. Sed in eo capite calidè agit hic canon, cum constet primum illud Concilium Arelatenſe anno CCC XIV. convocatum fuisse ab Imperatore Constantino. Excipi posset, synodum illam Arelatenſem fuisse tantum ex provincia Viennensi, ideoque canonem illum intelligi tantum debere de conventu synodi provincialis, quae arbitrio Arelatenſis Episcopi permittitur. Verum apertè constat eam Synodum constituisse ex pluribus provinciis, & ex diversis Metropolitanis, de quibus componendis agitur in XLII. & LVI. canonibus. Vnde sequitur, canonem XVIII. voluisse tribuere auctoritatem convocandi synodum plurium provinciarum.

IX. At Leo primus ferre non potuit præ-

sumptionem Hilarij, vetuitque ne deinceps synodos ex variis provinciis cogeret. *Suis* (inquit Leo in epistola LXXXIX. ad Episcopos provinciae Viennensis) *unaquaque provincia sit contenta Conciliis, nec ultra Hilarus audeat conventus indicere synodales*. Sed heic obiter adnotandum est, posse ex iis quae dicta sunt constitui epocham Concilij Arelatenſis secundi, quae viro clarissimo Sirmondo ignota fuit, & eique occasionem dedit scribendi exploratum haecenus de tempore hujus Concilij nihil esse. Conlocandum est immediatè post Concilium Vafense, quod anno CDXLII. celebratum est, & ante annum CDXLV. quo scripta est epistola Leonis adversus Hilarium. Porro Hilario adempta insuper est à Leone dignitas metropolitana, ac Viennensi Episcopo adjudicata. Attamen idem Pontifex eandem provinciam, post Hilarij obitum, divisit in duas, relicta Episcopo Viennensi curam quinque civitatum, reliquis autem tributis Ravennio recens ad episcopatum Arelatenſem electo. Ac praeterea, restituenda huic urbi veteris dignitatis cupidus, Ravennio jus quoddam eximium tribuit quod primo Metropolitanò competit, denuntiandi nimirum reliquis Episcopis res in Concilio definitas. Eam namque illi curam commisit, missa ad eum celebri illa epistola qua controversias de mysterio dominicae incarnationis decidit, edicto ut eam communicaret cum Episcopis Galliarum, qui dein Leoni gratias egerunt.

L. 109.

Idem. ep. 110.

X. Primus omnium Hilarus Papa Arelatenſibus Episcopis jus & auctoritatem tribuit convocandi Concilium Galliarum. Anno namque quadringentesimo sexagesimo secundo jussit ut Leontius Arelatenſis Episcopus synodum ex provinciis quae congregari possent convocaret. *Per annos itaque singulos*, inquit, *ex provinciis quibus poterit congregari, habeatur episcopale Concilium; ita ut opportunis locis atque temporibus, secundum dispositionem fratris & coepiscopi nostri Leontij, cui sollicitudinem in congregandis fratribus delegavimus, Metropolitanis per literas ejus admonitis celebretur*.

Vide supra lib. 6.
cap. 14. §. 7.

Hilarus Papa
ep. 4.

XI. Ceterum haecenus placuerit examinare quam auctoritate sub Imperatoribus Romanis convocata fuerint generalia Galliarum Concilia. Quippe irruptiones Francorum, Gotthorum, & Burgundionum, qui majorem Galliarum partem ab Imperio refecerant, multum difficultatis attulere communicationi antistitum: quae aliunde valde erat interrupta, ob hoc quod auctoritas pontificia ad congregandas synodos esset penes Episcopum Arelatenſem Romano imperio subiectum. Rectè igitur Papa Hila-